placuit uti conſilio. Ponderatis circumſtantiis, cum animadverterim utroſque ductus cholidochos, veſiculæ felleæ bilem & attrahentis ac recipientis, & eam aliò transmittentis, obſtructos à craſſis humoribus, viis interceptis, quò minus liber tranſitus pateret per inteſtina, exin cholera regurgitans, in venis recepta & maſſæ ſanguineæ commixta, eam inquinando, dum facultas expultrix malâ illius qualitate extimulata, ad corporis ſuperficiem amandavit.

Ad infarctus illos expediendos, & bilioſos humores tàm per alvum, quàm vias urinales & mundificandos, ſequens decoctum proſpero ſucceſſu, ordinatum.

℞. *Summit.* abſ. rom. m. iß. card. ben. chamædr. *cuſc.* fragar. cum rad. a. m. *j*. R. cichor. m. iß. R. rhapont. veri ʒij. decoq. in vini menſ. ß. aq. verbenæ cichor. an. ℔. 1. ad 3. part. conſumpt. In colat. infund. Rhab. craſſo modo contuſi ʒiiß. manè & veſperi ℥ij. cal. exh.

Intra dies paucos, arquatus ille abominabilis, eſt profligatus. Sæpius benigniora remedia aliquoties reiterata, magis ſunt proficua, dum Naturam habent adminiculantem, quàm multò fortiora, illam perturbantia & vires atterentia.

De Colica.

OBSERVAT. I.

CUm Illuſt. ac Generoſus Dn. Andreas, L. B. de Sturvenberg / in arce Frawenberg / ſuperioris Styriæ ſuam habens reſidentiam, colicâ ſat gravi correptus, à pituitoſis & bilioſis humoribus pronatâ, cùm alia medicamenta, tum temporis non eſſent ad manum.

℞. El. diacath. ʒiiß. El. diaph. bened. lax. a. ʒij. Eleſcopi ʒiß. diſſ. cum aq. beton. f. p.

Cum per aliquot horas poſt, non operaretur, clyſma injectum.

℞. Herb. mercur. malv. pariet. beton. a. m. j. fl. chamo. metil. aneth. a. m. ß. ſem. aniſ. fænic. carvi. a. ʒj. dec. ad med. col. ℥x. diſ. El. diacath. ℥vi. diaph. Bened. lax. Eleſc. a. ʒij. ol. chamo. aneth. a. ℥iß. vit. i. o. ſal. ʒß. M.

Copioſa vitioſorum humorum ſaburrâ excreta, à tam diro cruciatu liber ac immunis evaſit, hanc mihi laudem tribuens, cum antehac ſæpius colicâ *infeſtatus*, à nullo Medico, tam brevi ſe reſtitutum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134749-p0173-2
DFG

OBSERVAT. II.

ILluſt. ac Generoſus Dn. Wilhelmus L. B. de **Windiſchgrätz** Scheifflingæ, ſuperioris Styriæ pago, in arce vicinâ ex graviſſimâ colicâ decumbens pœnè conſimilibus, ac in ſuperiori Domino, mutatâ tantum doſi, per os exhibitis, & per alvum injectis, convaluit per os etiam exh. ol. amyg. de cum juſc. cal. Largâ remuneratione, gratum ſe præſtitit.

OBSERVAT. III.

NObiliſs. ac Strenuus Dn. Chriſtophorus **Braunfalck / in Knittelfeld**/ ſuperioris Styriæ oppido habitans, aliquot vicibus per temporum intervalla, ſævis doloribus colicis infeſtatus, haud multum diſpari modo, ac illi, variatâ tantum doſi, tractatus & brevî ſanatus.

OBSERVAT. IV.

NObiliſs. Dn. Gabriel de **Pranck**/ in arce ſuperioris Styriæ habitans, immani colicâ diſcruciatus, à causâ calidâ & biliosâ materiâ, *multis in caſſum adminiſtratis*, tandem.

℞. Mann. el. ℥ 2. diſſ. in juſc. Gall. macri & col. ad. ol. amyg. dul. ℥ 2ß. M.

Eveſtigio cruciatus aliis invictus, receſſit, ſummoperè id laudatum.

OBSERVAT. V.

CUm quidam Nobil. Officialis Cæſareus Auſtriacus in hoſpitio Ulm. ex colicâ intensâ decumberet, ad ejulatus compellente. Primò clyſma apl.

℞. Herb. malv. alth. mer. pariet. a. m. j. beton. anth. ſalv. a. m. ß. fl. chamo. melil. anet. a. p. j. ſem. aniſ. fænic. carvi. a. ʒ ij. lini. ʒ iij. dec. ad med. in col. ℥ x. diſ. El. diacath. ℥ vi. diaphæn. Roſ. Meſ. a. ʒ iij. mel. anth. ℥ j. ol. chamo. amyg. d. a. ℥ iß. vit. i. o. ſal. parum. f. cl.

Ad corpus evacuandum:

℞. Enul. cich. fænic. Garyo. a. ʒ ij. herb. abſ. card. b. hyſſ. beton. meliſſ. a. m. ß. Rhab. El. agar. tro. ⅁. ʒ iij. turb. al. ʒ iiß. R. Jal. ℈ 4. cinna. ʒ iß. gal. ʒ j. f. ſac. infund. in Menſ. hydromel. exh. quart. ß.

Etſi alvus exin reſerata, & circa veſperam non minùs recrudeſcerent dolores, ut vociferari coactus, neceſſitas urſit devenire ad opiata.

℞. Laud. op. cum mag. gr. 4. conſ. roſ. ʒ ij. M.

Dolore ſopito, ea nocte placidè dormivit.

Multum contulit etiam, ol. ſtill. mentæ gut. 5. 6. cum juſc. cal.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-134749-p0174-8

DFG

Pro dolore crurum & genuum immenſo:

℞. Aq. hirund. cum caſt. ℥2. theriac. ceph. ʒj. M. cal. inung. cum levamine.

Ad vires reficiendas:

℞. Syr. de cinna. ℥2. aq. cinnam. ℥ß. M.

Pro potu:

Dec. gal. cum mod. ſem. aniſ. & cinnam.

OBSERVAT. VI.

Colica Emetico ſublata.

ADmodum Rever. Præſul Dn. Jacobus Cœnobii Iſnenſis, colicæ graviſsimæ obnoxius, manibus contractus, ſæpius per os ingeſtis, & per injecta clyſmata evacuato corpore, non minus dolor recurreret, cum validâ compreſſione abdominis, *exin conjectura, ſub hypochondriis* deliteſcere copiam craſſiorum humorum, tantam anguſtiam & recidivam parientium. Contuli me ad Emeticum & obtuli Diaſari Fernelii ʒiij cum hydromel. ℥4. M. ad revellendam materiam per vomitum. Vix unius horæ intervallo poſt vomere cæpit non continuè, ſed per certa intervalla ingens copia humorum phlegmaticorum rejecta, ut non una matula repleta. Ego eram anxius, ne vires deficerent, ſed Gratiâ divinâ ſecundante, tandem cloaca illa emundata, vomitus deſiit, ſanitas ſtabilior ſucceſſit, nec dolor amplius rediit, ægro prius macilento, poſt obeſiore facto. Etſi Fernelius de ſuo diaſaro aſſeverare non dubitet, etiam prægnantibus exhibitum, fore tutum, ego non auſim experiri, hoc quidem obſervare contigit, non tantâ violentiâ operari, prout antimoniata. Quod autem tantâ copiâ in illo excreta, non tam violentę medicamenti operationi id eſt aſſignandum, quam exundanti materiæ.

Multi paſſim Monachi, in ſuis clauſtris, colicâ compreſſivâ, contracto interius ventre cum violentiâ, laborantes, quæ tandem deſinit in convulſiones epilepticas, in tumbam ſepulchralem deſcendunt, qui in vitâ conſervari potuiſſent, exhibitis *Emeticis*, cum craſſi illi ac tenaces humores intimius impacti, nulla aliâ ratione, commodius convertuncari queant. *Sed* cum vomitiva aſtantibus terrorem incutiant, & Medicum etiam, præſertim à Naturâ anxium ac ſollicitum, formidoloſum reddant, proin rarior *illorum* uſus, ut Medici cautiores, malint ægros de vitâ, quam ipſi de ſuâ famâ & exiſtimatione, (ſi quid ſiniſtri eveniat) periclitari.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134749-p0175-4

Inter cætera purgantia inprimis contulit.

℞. Fol. ſen. ſ. ſ. ℥ß. ſem. aniſ. p.j. infund. in juſc. macro Gall. & claro, mane levi facta ebull. & expreſſ. diſ. Mann. el. ℥j. M.

Larga viſcidorum humorum, operatio ſecuta.

Pro dolore lumborum:

℞. Ax. taxi, vulp. a. ʒvi. ol. maſt. ℥ß. ol. ſpic. ʒj. acet. ʒß. M. ad igni. profuit.

OBSERVAT. VII.

DN. Mertz/ Archigramat. Ulm. colicâ paſſione diſcruciatus, cum clyſmata purgantia eſſent fruſtranea.

℞. Fl. chamo. aneth. verbaſci Veron. a. m. j. dec. ad conſumpſ. 3. partis. In col. ℔. ß. diſ. vini malv. ℔. ß. ol. chamo. aneth.¯lini. an. ℥iß. f. c.

Dolor ſedatus.

OBSERVAT. VIII.

Volvulus lethalis clyſmate per os rejecto.

CUm Rever. Dn. Abbas Caſparus Monaſterii Iſnenſis, Iliacâ paſſione ſæviſſimâ exagitatus & à tribus Medicis tractatus, inter cætera injectus clyſter ex vino malv. cum dec. veron. is magnâ violentiâ ſurſum raptus & vomitu redditus, ut ejus odor & ſapor à quovis dignoſcendus. Etſi complures Medici id fieri poſſe abnuant, obſtante valvulâ in extremitate Ilei, à Naturâ eo fine conſtructa, ne pateret excrementorum regreſſus: id quidem in ſanitatis ſtatu haud inficiandum, ſed in morboſo & affectu Iliaco, quin dum facultas expultrix magno conatu & violentiâ, quicquid moleſtat, motu periſtaltico ſeu inverſo, ſurſum amandare contendit, quid prohibet, quo minus valvula illa relaxari, vel diſrumpi queat. Rem ita ſe habere oculatus ego ſim teſtis. Etſi Triga Medicorum præſens & illi inſerviens, ſed irrito conatu, quin à luridâ ille morte abreptus.

OBSERVAT. IX.

De Colica putata ab inflammatione cauſata.

CUm antè annos 40. Reip. Iſnenſis Medicus eſſem ordinarius, evocatus Rißleck/ ad Præfectum Illuſt. ac Generoſ. Dn. de Erbach/ qui ſæviſſime dolore colico diſcruciari eſt judicatus, cum circa horam decimam nocturnam, tempore hyberno, appuliſſem, & clyſma applicari

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134749-p0176-0 DFG

cari juſſiſſem, altero crure ſubitò elevato, circa anum, veſicula erat conſpicua, eaque diſrupta, materia purulenta ſat copioſa profluens, hominem ab omni cruciatu liberavit: indubia conjectura, inflammationem eò loci concitatam, in abſceſſum verſam, tàm diri doloris effectricem.

OBSERVAT. X.

Tormina Infantum quomodo commodiùs placanda.

ETſi illud vel mulierculis cognitum, ſi Infantuli in cunis jacentes, torminibus *infeſtentur*, exhibere ol. amyg. d. rec. cum ſacch. cando mixtum ſæpius cum optato ſucceſſu, ſed majori cum fructu, ſi cum juſc. Gall. cal. offeratur, præſertim ſi id aſſumere ex cochleari, *repugnent, prout multoties contingit*, tum inditum Aemmelin / inprimis ſi ſitiant, ſugendum porrigendum. Ita enim infantulus bimulus Dn. Marci à Laphemi, Præfecti in Weiſſenhorn / à ſat diuturno ventris cruciatu, eſt liberatus ℥iß. ol. amyg. d. cum juſc. gall. mixtum ex vaſculo ſugendum exhibitum. Cum *alia fruſtranea.*

OBSERVAT. XI.

Tormina inteſtinis ex rupturâ in ſcrotum delapſis, quomodo demulcenda.

QUidam Theologus Ulm. in ſummo templo ingentibus torminibus, ob inteſtina, ex rupturâ, in ſcrotum delapſa exagitatus, inſimul tuſſi moleſtâ.

Primò clyſma apl.

℞. Dec. carminat. ℥viij. ol. chamo. amyg. d. a. ℥iß. laurini. ʒj. mell. anthoſ. ℥iß. El. diacath. ʒvi. M. f. cl. per os exh. ol. amyg. d. rec. cum vino malv.

Totus venter cal. inung.

℞. Ol. chamo. aneth. an. ℥ß. ol. Ment. abſ. an. ʒij. M.

Sæpius etiam multum profuit, ſi filamenta Rickgarn dec. in aq. cum cin. & expreſſ. cal. apl. toti abdomini.

Pro tuſſi admodum infeſta:

℞. Aq. ſcab. ℥2. hyſſ. veron. a. ℥iß. tuſſil. chæref. an. ℥j. aſthmat. ʒx. ſac. candi al. ʒvi. M. Omnia erant ex voto.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134749-p0177-6

OBSERVAT. XII.

Inflammatio circa anum falsò alterius Medici opinione, pro dolore hæmorrhoidum tractata.

DN. D. Jacobus Schad/ JC. & Patricius Ulm. Naturæ melancholicæ, ſat grandi dolore circa anum interius pertingente ad loca profundiora, infeſtatus, antè meum acceſſum, alterius Medici adhibuit operam, cum nihil proficeret, & meum efflagitatum conſilium. Cum in Dn. ægri conſpectum veniſſem, oſtento lotio valdè rubeo, converſatione cum priore Medico, inſtitutâ, de morbi genere & causâ, ipſe putabat cruciatum illum prodire ab hæmorrhoidibus, ad eum placandum, intentionem ſuam dirigens: cum me oppoſuiſſem, *fretus urinâ inſigniter rubeſcente*, & dolore non in ſuperficie hærente, ſed in profundum penetrante, retuliſſem, me ſuſpicari, malum illud ab interiore inflammatione proficiſci, cui inprimis occurrendum, cum autem ille regeſſiſſet, urinam tam rubicundam, ipſi ægro etiam in ſanitatis ſtatu conſuetam, (quamvis id mihi abſonum viſum) ne noſtra diſſidia aſtantibus eſſent offendiculo, cæpi & ego communi conſilio, affectum illum pro dolore hæmorrhoidali tractare & ἀνώδυνα varia applicare. Cum ſingularia ad dolorem mitigandum uſurpata, nec tamen ulla remiſſio ſuccederet, meritò erat admirationi: ſed ecce dum in ſuſpenſo hæſitabundi, intra triduum, copioſa materia purulenta, per anum promanare cæpit, & dolorem aliis implacabilem, ſuſtulit. Exin τεκμήριον luculentum captandum, cruciatum illum, ſecundum meam conjecturam, ab interiori inflammatione concitatum, in abſceſſum terminata: eo diſrupto, dolor quidem deſiit, ſed morbus non abſceſſit, quin graviora ſubſecuta ſymptomata, (totus etiam auriginoſus factus) ad Mortem usque concomitantia. Exin ipſe eventus & αὐτοψία mihi patrocinium ferebant, in opprobrium alterius Medici, in ſuâ criſi aberrantis, & me inſimul ſeducentis. Id mihi ſæpius contigit experiri, ut in conſultationibus, cum aliis Medicis habitis, ii mihi etſi rectius ſentienti & meam opinionem accommodatis rationibus ſtabilienti, fuerint adverſarii, & tamen victrice veritate, ſæpius cedere ſunt coacti. Si quando ipſorum prolata, etſi valdè abſona, & meæ Rationi repugnantia, ilicò non probavi, me paſſim velut ἀντικείμενον traduxerunt, & per calumnias exoſum reddere, non deſtiterunt. Sed conſcientia me impellebat eò, ut potior cura habenda ſalutis ægrorum, quàm favoris concurrentium Medicorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134749-p0178-2 DFG

OBSERVAT. XIII.

Inflatio abdominis cum torminibus.

GEneroſa conjunx Illuſt. ac Generoſe Dn. Dn. Hannibalis, L. B. de Herberſtein Judenburgi, oppido ſuperioris Styriæ habitans, ingenti inflatione abdominis cum torminibus moleſtata, Medicatricum operâ irritâ, ego advocatus pro ferendo auxilio. Clyſma ordinatũ & injectũ.

℞. Herb. malv. merc. beton. pariet. a. m. j. fl. chamo. melil. aneth. a. m. ß. ſem. aniſ. fænic. carvi. a. ℥ij; dec. ad med. In col. ℥x. diſ. El. diacath. ʒvi. diaphæn. Hier. ſ. Gal. a. ℥iij. ol. chamo. aneth. a. ℥iß. tereb. diſſ. in vitello ovi. ʒiij. mell. anth. ℥j. ſal. parum. f. cl.

Ingenti copiâ materiæ mucilaginoſæ, inſtar glutinis, excretâ, ab omni moleſtiâ eſt levata.

OBSERVAT. XIV.

Tormina ex alui diuturnâ conſtipatione, unicâ pilulâ ſoluta.

QUidam *frater* conventualis Monaſterii Iſnenſis, cum ex torminibus ventris per dies 14. conſtipatus, ut immineret periculum contracturæ exteriorũ membrorum, cum obtigiſſet Natura abhorrens à medicamentis & alia retinere nõ poſſet, oblata unica pilula ex. gr. 15. de Extr. coloc. & ſcamm. Intra horas 3. alvus reſerata, copioſa ejecta materia, & æger à cruciatu liberatus, & ab impendente reſolutione partium præſervatus.

Deſcriptio Extracti pilularis de colocinthide & ſcammonio.

℞. Troch. alhand. ℥2. ſcamm. El. ℥j. infund. in ſp. vini, repete dum omnis virtus elicita, in B. M. f. Extr. doſis à ℈ß.

OBSERVAT. XV.

QUidam Juvenis Nob. diuturno dolore ventris moleſtatus, cum Empl. de Melil. reſtitutus, prout & alii complures.

De aluo conſtipata.

OBSERVAT. I.

Paſſulæ minor. laxat. celebratæ.

CUm Reverend. Dn. Wolfgangus Abbas Cœnobii Iſnenſis, alui conſtipationi obnoxius.

℞. Fol. ſen. El. ſ. ſ. ℥2. dec. in aq. ℔j.

ad conſumpt.3.partis. In expreſſ. infund. paſſ.minor.exacinat. ℔.ß. dec. ad mollitiem & condiantur cum ſyr.roſ.ſol.℥vi.M.

Cochl.1.per horam ante cœnam, valdè commendabat fælicem operationem. Cum eas abſumpſiſſet, & alibi à Pharmacopæis aut Medicis, alię communicatæ, ſed in operatione minùs efficaces, exin me non ſemel per literas compellavit, ut meo more præparatas transmitterem, ob præſtantiorem effectum. Etſi aliorum paſſulæ, quoad ingredientia fortaſſis haud multum differentes, tamen in proportione & aliorum permiſtione poteſt eſſe non parva diſcrepantia. Exin tanta in operatione diverſitas, ego ipſe in corpore meo benignè evucuando, feliciter ſum illas expertus.

OBSERVAT. II.

Pruna laxativa mirè laudata.

IN alui obſtructione à quacunque causâ, etiam à Thermis concitatâ, pruna laxat. ʒ. 4. antè cœnam exh.

℞. Fol.ſen.ſ.ſ. ℥2. cinnam. zing. a.℈ij. aq.End. vini albi a.℥7. *infund. hor.10.bull.ad conſumpt.3.part.* In expreſſ. Prun. Ungar. enucl. 12. dec. ad ſyr.conſiſt. cum ſacch.℥2. ad ſyr. roſ. ſol ℥2ß. aq. cinnam. ℥iij.

Cum iſta Pruna lax.olim ordinaſſem pro Uxore Dn. M. Nicodemi Sitzlini Eccleſiaſtæ Ulm. in thermis Bollenſibus commoranti, & fortè contigiſſet, ut alia fæmina ibidem adeò conſtipata, ut variis medicamentis aſſumptis, aluus commoveri non potuerit, *etiam ab illius loci Medico ordinatis.* Cum autem prædicta Matrona, de meis prunis 4. communicaſſet, iis uſurpatis, larga evacuatio ſecuta, & illa pruna paſſim adeò decantata, ut Medicus illius loci ordinarius, M. Sitzlinum obteſtatus, tantum favoris præſtaret, in communicandâ deſcriptione.

De Vermibus.

OBSERVAT. I.

Tormina exiſtimata à vermibus cauſata.

QUidam Juvenis in oppido Iſnenſi ingenti ventris dolore exagitatus, in domo diſcurrens, ubi quieſceret neſcius, ratus eſſe tormina, ordinavi.

℞. Herb.hyſſ.m. ß.abſ.card.ben. chamæd. agrim. fl. chamo. a.p.j. fol. ſen.